[...]dreas

Archiepisc. Gnesnensis.

Pasterii Joach. Tiara princeps Celsissimi Principis Reverendiss. Archipraesulis D. Andreae Olszovii Archiep. Gnesnen.

TIARA PRINCEPS

CÆLSISSIMI PRINCIPIS

REVERENDISSIMI ARCHIPRÆSULIS

DOMINI

ANDREÆ

OLSSOVII

ARCHIEPISCOPI

GNESNENSIS

LEGATI NATI

REGNI POLONIÆ Mq;. D. LITHUANIÆ

PRIMATIS & PRIMI PRINCIPIS

Pio grati animi affectu

CELEBRATA.

à

IOACHIMO ab HIRTENBERG PASTORIO

S. R. M. Secretario &c.

ANDREAS OLSSOVIUS

PER ANAGRAMMATISMUM

EN OS AARONIS LAUS SEDIS AMOR POPULI

EPIGRAMMA

Poſt Aquilæ curā, Lituo jam PRINCIPE regnas
OLSSOVI Patriæ Myſta ſupreme Tuæ.
ORE potens ſacri Dictator Iuris AARON
Gentis AMOR primæ gloria SEDIS eris.
Principis oraclū, Princeps ſimul ipſe Senator,
An ſupereſt, quo jam progrediare, decus?
Tranſcendis meritis Trabeas, virtute Curules:
Es Major reliquis, TE tamen uſq; Minor.

I. P.

CELSISSIME PRINCEPS
REVERENDISSIME ARCHIPRÆSVL

GRATISSIMVM HOC TEMPORE LABOREM MAIESTAS REGIA virtute & fortunâ Heroicâ parit ingeniis: Pergratum & Tu, qui dignitate in Regno hoc uni Regiæ Majeſtati ſecundus es. Triumphat univerſa Polonia ob Regem tot adoreis inclytum, terrorem Orientis, capiſtrũ barbarorum, domitorem rebellium, vindicem amiſſorum, gloriæ Sarmaticæ reſtauratorem: Triumphat ſimul in TE, quem Principe Tiarâ jam cœlum ornat, ut ſit, â quo coronari poſſit Rex, cui dudum ultro ſe offert & quaſi ingerit corona, ſed qui certans modeſtiâ,& publici decoris, quàm privati ſtudioſior hoc ipſum ornamentis omnibus præhabet, coronam ſemel accipiendam ſæpius meruiſſe. Summa hæc duorum in Rep. primorum Capitum fortuna diſtraheret Scriptorum calamos, niſi TV uni Regi vacare eos velles,hâc contentus gloriâ, ſub tam fortunato Bellatore felicem TE eſſe Primatem, ut qui, DEO auſpice, tali Diadema impoſiturus ſis,quo orbis noſter Diademate digniorem non habet. Verùm in argumento laudum Tuarũ, quale nobis jam offertur, non tam ſpectandum eſt, quid de TE verecundia TVA decernat, ſed quid mereantur virtutes: Neq; Muſæ â ſcribendi partibus immunes cenſentur, etſi eas moderatio genii TVI abſolvat. Et quâ,obſecro, fronte literati Patronum ſuum in ſummi honoris faſtigio & quaſi Auge ſuâ poſitum ſilentes adſpiciant? Quâ ſpongiâ ingrati animi labem abſtergant, ſi nihil de ſuo exhibeant illi, cui ſe nihil non debere fatentur? Interim quia ſcimus ſolitum TIBI eſſe, laudibus Tuis intercedere, fas ſit nobis cum Humanitate Tua tranſigere,

 ut debi-

ut debitâ gratulatione satisfaciamus officio pietatis, & simul modestiæ TVÆ consulamus brevitate elogii: Id tamen ante omnia professione publicâ testati, quod intra animum reverâ sentimus, merita TVA vix longo etiam dictionis apparatu posse percenseri, multò minus edisseri: Tota enim vita TVA ex merissimis virtutum decoribus composita est, quā proinde totam ingenti labore enarrare debuerit, qui TE totum velit exprimere, & ne sic quidem, quicquid audeat, TE facilè unquam ita expresserit, quin infra fastigium dicendorum subsistat, dicentis conatus. Ad dierum quippe spatia, & pene horarum minutias exigenda fuerit differentis opera, cū vix ulla temporum momenta TV absq; aliquo laudabili opere passus sis effluere, invictus semper laboris, ad vana indocilis, adspernans vulgarium, parcus temporis, prodigus TVI. Sed vitæ & gestarum â TE rerum seriem historia, aut alius labor exequetur, si vitam fata produxerint. Ad grandem aliquem carminis orsum vix adspirare jam audet vena senilis, & hæc qualicunq; conatu Heliconis ante complures jam annos affectum suum se meminit contestatum. Nunc pace Tua, PRINCEPS laudum in ipso NOMINIS & OFFICII TVI complexu reconditarum stricturas elicere, & sic operâ minus usitatâ, compendiosâ tamen, adumbrare TE nobis liceat. Cumprimis autem augustum & venerabile OS AARONIS in TE contemplandum nobis proponitur. Quæ imago ex sacro DEI populo petita, & summum sacrorum Antistitem referens, TIBI displicere nec potest, nec debet, qui Christi populo magni pariter ANTISTITIS autoritate præes. AARON frater Moysis & hoc ipso Divini populi Duce major annis, priusquàm supremam illam sacerdotii dignitatem acciperet, interpres, vereq; adeò Cancellari⁹ Moysis & ipsius DEI erat: Cum hic ore tardior, ille DEI ipsius testimonio eloquens esset. Hinc quoties Rex Ægypti compellandus erat, ore Aaronis compellatus est. Aaronem igitur TV nunc quà præcipuus & PRIMVS Regni ANTISTES, refers,

refers, cùm hactenus eundem, ut Cancellarius ſummè facũdus repræſentaris. Eo felicior Aarone, quod nullus unquam Pharao TIBI alloquendus fuit. Legati munus obiit ad Tyrannum Aaron: TV Legati honore ad Comitia Electoralia Imperii Germanici, & ad ipſum dein Auguſtum IMPERATOREM ac demum Regalis matrimonii fœdera ſancienda, laudabili dexteritate perfunctus, nunc LEGATI PERPETVI, & ut Roma ipſa & tota Europa Te vocat, LEGATI NATI nomine & inſignibus fulges. Neq; verò quemadmodum Aaron uni Moyſi adminiſter fuit, ſic Tu uni Domino, uni Principi operam navaſti. Plurium TV Regum tempora permenſus, Duorum fuiſti oraculum, tertio PRIMVS jam Regni PRINCEPS aſſides. De omnibus TE præclarè meritum faſſi ſunt, & fatentur omnes. Ingenio, eruditione, prudentiâ, fide, tolerantiâ laboris, facundiâ nullus Anteceſſorum dici poteſt TE anteceſſiſſe. Magnæ felicitatis res erit, ſi ullꝰ ſequentium TE pari virtutum ac meritorum gloriâ aſſequetur. Ingens certè onus ſucceſſoribus Tuis impoſuiſti, quando parvam iis ſpem reliquiſti TE æquandi, ſuperandi nullã. Nam & plus laboris in hoc munere TVO ſuſtinendum TIBI fuit, quàm ullus ferè ante TE alius ſuſtinuit, aut poſt TE ſuſtinebit. Cùm enim in duos ſemper diſpertitæ fuerint SIGILLI SARMATICI curæ, in TE propè ſolum tota illa moles, difficillimis Reip. temporibus, incubuit: quia ILLVSTRISSIMVS COLLEGA, Vir ſummus, & incomparabilium meritorum, ſed ætate & morbis invalidus, rariùs Aulæ præſentiam ſuam commodare potuit. Cui proinde gratum fuit, talem habere Alciden, qui dexteritate ingenii ferre poſſet illud rerum pondus, quod duos antehac fatigare conſueverat. Et TV ſanè tam ardui muneris partes ita implevisti, ut rariſſimi quiq;, nec niſi æmulationis æſtu abrepti, invenirent, quod in TE deſiderarent, omnes, quod laudarẽt. Regibus ſerviiſti, ut fidus & prudens Conſiliarius, ſed liber idem Senator, & adeo liber, ut aliquando & offenderes vera

 dicendo

dicendo, quibus aſſentando placere potuiſſes. In periculis nunquam trepidus, inter calamitates, imò & ruinas publicas ſtetiſti ſemper immotus. In ea quippe incidiſti tempora, ut plena res diſcriminis eſſet, ancipitia ac quaſi nutantia Reip. Fata ſuſcipere. Suſcepiſti, volente DEO, eodemq; Auſpice Patriam bellis externis interniſq; attritam, ac pene peſſum ſidentem prudentibus conſiliis erexiſti, ſervaſti. Popularib⁹ TV auris nunquam niſi ad publici boni portum velificatus es. Cùm illæ aliquando in magnos & verè Principes Viros æſtu factionum, quarum liberrima gens non eſt inſolens, efferbuiſſent, TV ſapienter moderatus es: Nec timuiſti æquis innocentiam excuſationibus tueri, quam culpare, tum innocentium eſſe credebatur, imò quam non culpaſſe, penè jam capitale erat. Longè itaq; ipſo Aarone, cum quo TE comparare cæpimus, conſtantiorem firmioremq; TE exhibuiſti. Illum olim populi deſipientis & verè vitulantis furore ad infanda compulſum novimus. Fædiſſima ſanè in populo DEI oborta tum Ecclipſis eſt religionis, cùm venerandum canitie ſenem, Principem ſacrorum, Anteſignanum omnium, quotquot ad Meſſiam, uſq; inter Hæbreos fuére, primariorum Sacerdotum, tot prodigiorum & teſtem & organum, ſeditioſus Idola poſcentis turbæ torrens eò abripuit, ut vitulos aureos conflare, & impio furori adorandos præbere ſuſtineret, acerrimam eo nomine à DEO & Moyſe reprehenſionem meritus, penè & cum aliis iræ divinæ immolatus. Quanto TV melior & incorruptior, qui in nullam unquam labem cultui Divino illatam conſenſiſti: Quinpotius eò ſemper flexiſti conſilia, eò labores & ſtudia contuliſti, ut divinum honorem, ut ſanctam religionem augmentis quàm maximis amplificares proferreſq;, ſecurus invidiæ, & contemptor odiorum, quæ DEI amor inter ignaros aut negligentes meliorum TIBI conflare potuit. Tali via, PRINCEPS CELSISSIME, ad ſummum, quem nunc accedis, honoris verticem, procul ambitu & omnia alia pridem cogitans

tans

tans, pervenisti. Hoc præmio Pietatem & cæteras virtutes TVAS æquus meritorum arbiter DEVS compensat: Id simul agitans, ut non minus lucis, augustæ, quam adis; SEDI ex TE affundas, quam SEDES affundit TIBI. Illius TV LAVS, illius decus & gloria esse destinaris, &, ut firmiter credimus, eris. Eam illustrabunt meritorum Tuorum antepartâ, eam Iuventæ Tuæ, eam virilis Togæ labores ornabunt. Eò enim TV Tecum infers quicquid à præclaris Majoribus decorum habes, quicquid cælestis ingenii vigor, quicquid à teneris diligentissimè culta literarum studia, quicquid peragratæ Regiones exteræ, quicquid anni per tot illustrium dignitatum, tamq; varios negotiorum colores transacti, in TE acervatim congesserunt. Nihil detractum cupio Antecessoribus, quos ut plurimum dotibus præstantissimos Principi huic Insulæ favor cœli & Principum felix calculus dedit Præsides. Quin potiùs Manes eorum debitâ pietate veneror, gloriæq; tantorum Præsulum lubenter & assurgo, & posthumæ eorum Famæ calamum offero vectigalem. Sed nec ipsa opinor, invidia diffitebitur, verum me dicere, si dixero, nonnullos quidem sed paucos illorum eum virtutum & meritorum cumulum ad hanc SEDEM attulisse, qualem TV affers, paucissimos, & fortè nullos attulisse majorem. Illorum aliquos insignis Pietas, excellens sanè talis Insulæ decus, alios alia ornamenta commendavêre. In TE rarum omnium laudum consensum concentumq; miramur. Lucet in TE DEI & Sacrorum Reverentia, fulget rerum Divinarum peritia, sed ut eam prudentia, rectrix humanarum, juxta comitetur. Cernitur probitas, sed cordata & æquè falli, quàm fallere nescia. Nitet magnanimitas, sed modestiæ non immemor. Splendet autoritas, sed Gratiis temperata. Micat humanitas, sed quæ gravitati nihil detrahat: Temperantia, sed serenitati mentis non obstruens: Iustitia, sed clementiam non excludens: Clementia, sed non dissoluta: Severitas, sed non inhumana: Munificentia, sed quæ

 fontes

fontes derivet, non exhauriat: Eruditio, sed sine supercilio: Eloquentia, sed qualis liberæ Reip. gubernandæ summè idonea est. Emicat simul eximius decor vultûs, sed ut pulchræ mentis index, non ut fax superbiæ. Breviter ut dicam, in Te natura monstrare voluisse videtur, quid in capacibus rerum magnarum ingeniis possit. Conformis porro naturæ exercitatio Talem TE eduxit, & eousq; consummavit, ut omnibus ad alta adspirantibus exemplo esse queas. Et ea est mentium erga TE propensio, ut capaces arduorum neminem sequi, & quantum possunt, imitando exprimere malint, quàm TE qui & culmen tenes virtutum, & in altissimæ fortunæ apice positus, longè latèq; conspiciendas præbes dotes illas, per quas surrexisti. Hoc utiq; certum, & liquidum, nullum in hâc Rep. ordinem esse qui TIBI non gratuletur, ut fortunâ hâc, quam possides, dignissimo. Quod si verum est, uti omnino est, magnam felicitatis partem esse, felicitate dignū plurimis videri, eam utiq; felicitatem præ multis assequutus es. Vix enim quisquam est, qui meruisse TE neget, quod obtines: Qui non item gaudeat, obtinuisse TE, quod merueris. Vt à capite Reip. nostræ ordiar, ipsius Regiæ Majestatis dudum jam intimum experiris favorem. Quem eò firmiorem TIBI polliceri potes quò altioribus fixum radicibus sentis. Amor ille ante sceptrum mutuâ æstimatione natus, mutuis crevit officiis, nec ullis ab alto intonantibus procellis concuti aut labefieri potuit. Veneratus es ut magnum & optimè meritum belli Ducem, cùm nescio quæ acerba & iniqua sidera Virtuti & Famæ præclarè merentis obstreperent. Non refugisti invidiæ subire consortium, ne innocentiam desereres. Neq; rejecisti amicitiam, ut ut periculosam & magno tum constantem. Eò autem incorruptior erat TVA erga afflictæ tum virtutis Heroem, fides, quò minus sciebas, ad id fastigii perventurum, ad quod ille postea, præter opinionem, pervenit. Occultum nempe Numinis decretum sceptro illum destinabat, & TE arcanis stimulis

mulis

mulis movebat, ne ſejungi TE patereris à Duce, qui tandem pretium virtutis, & tantarum adverſitatum habiturus eſſet Diadema. Sic manſit illibatus, inter vos nexus, & nec vis ulla, nec fortuna ipſa in eam quicquam potuit. Et quod magis mirum, pari fatorum conſenſu ac harmoniâ ad culmina rerũ deſtinatos vos fuiſſe, eventus docuit. Eodem enim tempore PRINCIPI ad SOLIVM apertus eſt aditus, quo TIBI ad PRIMATVM. Sub ipſum quippe Electionis tempus fato ceſſit vir in Rep. ſummus & nunquam ſine honore nominandus, quo ſuperſtite TV Infulam adipiſci haud poteras, ægrè etiam indigena ullus Diadema. Vnius ſideris occaſus peperit utriq; , quod neuter ſperare audebat. Sicq; caſu mirabili evenit, ut Suffragia ordinum, primo Hunc, quem nunc ut cœlo datum veneramur, nuncuparent Regem, Rex verò illico TE ARCHIEPISCOPVM legeret. Vt adeo primum verè Regiorum operum ſit PRIMATVS Tuus. Sed nec illud ſilentio involvendum, antiquo more in hâc Rep. receptum eſſe, ut Dignitates Senatoriæ non conferantur cuiquã, niſi à Rege coronato. Quæ conſuetudo, ſi ſervanda fuiſſet, non antè Infula hæc circumdediſſet caput Tuum, quàm Corona Regium. Sed datum hoc eſt orbæ matris Reip. tempori, ut ſi illa ob graviſſimas cauſas tam citò coronatum habere non poſſet Regem, ſaltem PRIMATEM & PRINCIPEM Senatus haberet ſolenniter palliatum. Quò nimirum domi eſſet, cuius ſacer & perſpicax oculus clavo rerum advigilaret, quandoquidem Sereniſſimus propulſandis hoſtibus, & redintegrando Reip. corpori intentus, à cœpto laudatiſſimo avelli nec volebat, nec poterat. Prout autem Regiæ Majeſtatis: ſic & Senatus favorem eo ipſo, PRINCEPS CELSISSIME, cognoviſti, cùm ad eum modum non expectare, ſed præcipere juſſus es conſuetum Infulæ huius capeſſendæ tempus. Neq; enim ullus quod ſciam, Senator anticipationi huic interceſſit, quia nec perperam bono publico, nec fruſtra tanto cœterorum conſenſui intercedere quiſquã voluit.

luit. Iam de Civium erga TE benevolentia quid dicam? Ea sanè tanta est, vt, si quisquam, TV utiq; de ea jure gloriari, nos TIBI gratulari possimus. Nihil damus auribus, cùm TE verum POPVLI AMOREM dicimus, Et eò magis in TE hoc cæli beneficium miramur, quantò minùs id quibusdam ante TE Sigilli Custodibus contigit. Constat sanè, ut illustre sic arduum hoc esse munus, & variis censuris, variis etiam subinde offensis obnoxium, præcipuè in hac libertate, quæ nonnunquam in gravem affectuum & judiciorum licentiam erumpere solet, quia impunè semper potest. Et profectò vix fieri posse arbitror, ut hic quàvis officii partes abundè impleverint CANCELLARII, spes omnium impleant, aut æquent vota. Stant illi quasi medii inter Reges & Cives, & tam horum Iura quàm illorum Majestatem tenentur tueri. Sæpè autem lucta quædam inter delicatam Majestatis custodiam, & suspicacem libertatis curam oboritur. Ægerrimè tum offensas vitant, qui utriq; ita servire debent, ut neutri quicquam detrahatur. Et nonnunquã eò effervescunt partium studia, ut penè in Scyllas & Charybdes agant navem Patriæ. Difficilè tum est, iter offensionis periculo vacuùm invenire, difficiliùs sequi. Inde factũ, ut quidam talium ministrorum aut Regibus minus grati fuerint, aut facti sint victimæ odii popularis. Aliquando illi suos, aliquando & Principum errores luêre: Imò & quod alii quidam peccauerant, id his imprimis imputatum est. TVA, MAGNE PRINCEPS, diversa & melior sors fuit. Pleræq; actiones Tuæ aut non accusatæ, aut absolutæ sunt Civium calculo: Et si quid minus rectè cessisse compertum est, id nõ Tuâ culpâ evenisse judicatum, sed eorum, qui TE audire recusârunt. Liberè dicam quod sentio, quodq; alios complures mecum sentire arbitror. Principes nostri, quorum temporibus TE fata Ministrum dederant, multos ancipites scopulos vitare potuissent, si consiliis Tuis acquievissent. Et ipsi tandem âgnovêre peccatũ, sed cùm tempus emendandi

effugisset.

effugiſſet. Tibi interim, ut Conſilioru Tuorum ratio conſtitit, ita in eo fortuna favit, ut hanc conſtitiſſe Tibi, multis imò omnibus conſtaret: Sic inter varias rerum vices immota Tibi ſtetit benevolentia populi, & cùm cœtera ſentirent rotam fortunæ, Amor Tui non ſentit. Nec difficilè eſt cauſam animadvertere, quomodo id quod fluxum, & breve eſſe tam multi compererunt, Tu expertus ſis ſtabile. Ingenuè eam exprimo, quam veriſſimam arbitror. AMARIS à Civibus, quia à TE Cives AMANTVR: Amaris conſtanter, quia nec TV in amore Patriæ unquam refrixiſti. Patriæ TV omnia poſthabes: Patriæ tot calamitatibus afflictæ, tot bellis exhauſtæ, ſanguinem coloremq; priſtinum reddere, omni ope conaris. Huic curæ dies noctesq; impendere ſolitus es: Nec contentus totam hanc Reip: navem inter decumanos ſubinde fluctus, quantum in TE fuit, incolumem ſervâſſe; de ſingulis etiam civibus bene mereri conſuêſti. Pronas non Magnatibus ſolùm, ſed & tenuiſſimo cuiq; aures præbere, poſtulata patienter cognoſcere, ad Principem deferre, merita omniũ tam ſago quàm togâ publico ſervientium bona fide commendare, prompta cuiq; dare reſponſa, ſubditis Regum jus dicere, injuriam patientibus manum porrigere, alienæ intercedere miſeriæ & inopiæ, ſolemne & quotidianum TIBI: Mitto diſcordias publicas, quas ſopire, pabulum animi Tui, mitto & Comitia, quorum æſtus ſpiritu Tribunitio concitatos temperare, Tui potiſſimùm ingenii, Tuæ dexteritatis & facundiæ labor fuit. Iſta ſine ſupercilio, pompa, & fuco, voce blanda, vultu amabili, animo ſincero & inter tempeſtates etiam ſereno agentem quomodo deſtituere potuit AMOR POPVLI? Quomodo etiam muneri illi valedicentem non deducere ad thronum altiorem? Deducit enimverò & eodem affectu, quo Tuos hactenus labores proſequvtus eſt, ſublimiorem TIBI fortunam gratulatur. Reſpondet cœterorum omnium gaudio Parnaſſiæ quoq;

 turbæ

turbæ concentus. Applaudunt honori Tuo Sacra Piarum doctarumq; mentium frontisteria, in quibus puber ætas Tua primos ingenii flores explicuit. Applaudit Mater Artium Academia Cracoviensis, quam studiorum Tuorum felicem olim Alumnum præclaro animi emolumento expertus, bibliothecâ amplissima, Tuæ perennis liberalitatis cēsu publico usui apertâ ornâsti, eoq; ipso æternitatē ipsa TIBI vectigalē reddidisti: Applaudimus omnes, quotquot Musarum, quarum Mecænas es, commercium amamus. Vovemus porrò, ut altissimæ huic SEDI incolumis & fortunatus diutissimè præsis. Cœlum, PRINCEPS CELSISSIME, non ipse solùm experire, sed & quantum tantus Pontifex potes, redde propitium Patriæ Tuæ. TE PRIMATVM hunc suscipiente pulcherrimis en palmis efflorescit Polonia nostra; REGE FORTISSIMO ingentem terrarum tractum Regno feliciter reddente. Addat gratia cœlestis perennitatem beneficiis suis, ut, TE PRIMATVM hunc feliciter administrante, idem gloriosissimus bellator noster, quicquid Patriæ inimicum restat, fortunatis perdomet armis, & triumphato imprimis Christiani nominis hoste, gloriosæ firmæq; pacis fertilitate Poloniam coronet, Regna nobis amica fulciat, æmula nocendi facultate exarmet.